

Q. 184. 39 DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

Ve  
2376

D E

# POENA STVPRI

EX PRINCIPIIS

POTISSIMVM IVRIS SAXONICI ELECTORALIS

P R A E S I D E

## MARTINO GOTTLIEB PAVLID

DIGEST. VET. PROF. PVBL. ORD. CVR. PROVINCIAL  
CONSISTOR. ECCLESIAST. SCABINAT. ET FACVLT. IVRID  
ASSESSORE ATQUE ACAD. VITEMB. H. T. RECTORE

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE CONSEQUENDIS

DIE VII. MENSIS IVNII A. O. R. CICDCCCLXXXI

H. L. Q. C

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

A B

## IOANNE GODOFREDO GILLIK

IVR. CANDIDAT. ET ADVOCAT. DRESSENS

---

VITEMBERGAE

FRELO CAROLI CHRISTIANI DÜRRIS



X 2400477

JOANNE GODOPREDO GIFTI  
LIBRIS CAVORE CHRISTIANI DULCI  
MATRIMONIALE  
AD DICENCIAM PANDAM PROTOSITI  
DIE AN MENSIS IUNII A.D. M. CCCCCLXXVIII  
AEGO  
RITA COZI LUDVICI  
HIC TIBI AVITUS TIBI SOLUS EST TECUM  
CONSERVATUS ET EMINENS TECUM  
ALTOQVIUS VITIUS QVOD SED  
EVECTUS IN VITIO QVAM HONORIBUS



Q. D. B. V.

DE POENA STVPRI EX PRINCIPIIS  
POTISSIMVM IVRIS SAXONICI  
ELECTORALIS.

§. I.

Doctrina de delictis et criminibus eorumque poenis,  
si qua alia, ea est Iurisprudentiae hodiernae privatae  
pars, quae medicas diu desideravit manus, in qua ta-  
men emaculanda et ad naturalem suam pulchritudinem perdu-  
cenda inde ab beat. *Christiani Thomasi* temporibus coniunctis  
quasi viribus elaborarunt, et adhuc elaborant Philosophi sum-  
mi, Iurisconsulti, et ipsi adeo Legislatores sapientissimi.  
Quae cum ita sint, in hac scribendi opportunitate locum se-

A 2

legi



legi ex Iure, quod dicitur, Criminali depromtum, et eiusmodi quidem locum, qui doctrinam continet non obsoletam et antiquatam, sed, quae vsu fori frequentatur quotidiano, doctrinam, scilicet de stupro eiusque coercitione. Etenim ipsa ista de stupro doctrina vna est ex iis, quae, olim praesertim, et, si dicendum, quod res est, non nullis in locis etiam nunc luridis adspersa est maculis, quas, ut eluerent, aequitatis naturalis in causis criminalibus restitutores et reformatores hodierni omnem mouent lapidem. Videamus proinde, quae in Iure nostro de stupro, et de coercendis stupris constituta sint, in primis autem, quae in Iure nostro Saxonico Electorali ea de re bene sapienterque sint sancita.

## §. II.

In Iure Romano stuprum haud raro sensu admodum lato accipitur. Etenim non tantum adulterium non nunquam stuprum dicitur, *I. 6. §. 1. D. ad Leg. Iul. de adulter. coercend. verum* etiam ipsum adeo istud obscenum et detestandum crimen, Romanis autem olim visitatissimum, quod Paederastia dicitur. *I. 34. §. 1. Ibid.* Sed utrumque per abusum. *Proprie* enim, inquit Papinianus *I. cit. 6. §. 1. ad Leg. Iul. de adulter. stuprum in virginem viduamque committitur.* Nimirum apud veteres Romanos adulte-

adulterium non, nisi cum aliena matrefamilias committebatur,  
 l. 225. *D. de V. S.* maritus e contrario, qui virginem corrum-  
 pebat vel viduam, non adulterii reus habebatur, sed stupri.  
 l. 18. *C. ad Leg. Iul. de adulter.* At enim vero ex principiis Iuris  
 Canonici et hodierni quaecunque fidei coniugalis per concubiti-  
 tum cum persona extranea violatio dolosa hodie adulterium  
 est. Quare stuprum, de quo nobis hoc loco sermo est, non  
 omnino quaecunque virginis honestae, vel viduae est corrup-  
 tio, sed rectius omnino, ex principiis certe Iuris Criminalis  
 hodierni, *stuprum concubitus dicitur maris et feminae honestae, ma-*  
*trimonii vinculo haud obstrictorum, illicitus quidem, sed naturae ordini*  
*haud contrarius.* *Püttmann Elem. Iur. Criminal. Libr. I. Cap.*  
 XXXX. §. 573. His autem praemissis, vix opus est dicere,  
 quod liquet ultro, in hoc libello, cui, qui in eius fronte in-  
 scriptus est Iuris hodierni Criminalis locus, tanquam terminus  
 constitutus est certus, ultra quem progrexi hodie non vacat,  
 nobis non esse sermonem istis de delictis libidinis venereae omni-  
 bus, quae vel olim sub vocabulo: *stuprum*, comprehendeban-  
 tur, vel inter quae atque stuprum alias nonnulla intercedit af-  
 finitas, vel quasi. Nihil itaque negotii nobis hoc loco est cum  
 adulterio, aut cum paederaстia, aut cum monstrosa et praepo-  
 stera Venere, ceterisque nefandis sceleribus, quae ne scire  
 quidem



quidem proficit, nihil cum stupro, quod dicitur violentum, aut cum incestu, aut cum fornicatione et q. s. r. haec enim omnia extra istos posita sunt cancellos, quos nobis ipsi circum-dedimus.

### §. III.

In Iure Romano, quae de coercendo stupro sunt sancita, ea tantum non omnia nostris in foris fere extra omnem usum sunt posita. Summa eorum, quae huc pertinent, eo reddit: stupratores virginum viduarumque honestiores parte bonorum dimidia mulctabantur, et praeterea relegabantur, adversus humiliores autem poena erat coercitio corporis, puta, fustium admonitio, flagellarum castigatio, cum relegatione, quae quidem poena infamiam irrogabat, non tamen capitalis erat. *§. 4. I. de Publ. Iudic.* Hac autem poena non tantum masculi stupratores, verum etiam feminae, stuprum passae, afficiebantur, leges enim hac in parte inter masculos et feminas non distinguunt, quin, *foedissimam earum mulierum nequitiam*, quae pudorem suum alienis libidinibus prosternunt, leges uiciscuntur, *Diocletianus, inquit, et Maximianus Imp. Imp. l. 20. C. ad Leg. Iul. de adulter.* Sed haec de Iure Romano sufficient. Reliqua omnia vide, sis, apud *Antonium Matthaeum de Criminibus Tit. III. Cap. V. pag. 448. sqq.*

et A

### §. IV.

## §. IV.

Mores veterum Germanorum quod attinet, *Iulius Caesar* eos omnes apud maiores nostros, qui *diutissime impuberes manserunt*, i. e. cum mulieribus non consueuerunt, *maximam inter suos tulisse laudem*, et *intra annum viceustum feminae notitiam habuisse*, in *turpissimis habitum esse rebus*, refert de *Bello Gallico Libr. VI. Cap. 21. C. C.* Tacitus autem *publicatae*, inquit de *Morib. German. Cap. XIX. pudicitiae nulla venia*. — — *Nemo illic vitia ridet, nec corrumperet et corrumpi saeculum vocatur*. — — *Plusque ibi, addit, boni mores valent, quam alibi bona leges*. Hic autem sensus cum Germanis olim et terrae domesticus esset et quasi nativus, facile est ad existimandum, paucissima in tam numerosa gente olim *stupra*, et, vt adulterii, ita quoque eorum poenam praesentem et propinquis fortassis permissem fuisse. Hanc veterem pudicitiae laudem diu quidem antiquissimarum gentium Germanicarum servarunt posteri, sed insignes istae mutationes rerumque publicarum euersiones, quas produxerunt in Germania terrisque vicinis saecula insequentia, effecerunt omnino, vt maiores nostri sensim sensimque aliam induerent vitam, alias mores. Quemadmodum itaque proaos suos ex una parte humanitate ciuitateque longe multumque superabant, ita fortassis ex altera parte eorum incontinentia quoque, sive Vene

rea

¶

rea cupiditas et immoderatus coeundi appetitus gliscet magis magisque. Nihil itaque fecerunt reliqui, qui tunc temporis rebus publicis praerant, ut arctiora ciuibus suis legum iniicerent vincula, poenarumque metu in officio continerent, quos impotens animus ad immoderatam incitaret libidinem. Maiores autem nostri, certe plerarumque originis Germanicae gentium supra olim pro arbitrio iudicis, vel carcere, vel mulcta pecuniaria coercebant; adacto simul stupratore, ut aut duceret stupratam, aut dotaret, id quod cum cura exposuit et ex veterum Germanorum legibus abunde probavit *Ioannes Gottlieb Heineccius Elem. Iur. Germ. Tom. II. Libr. II. Tit. XXIV. §. §. 157. 162. 165. 169. 174. 176. 179. 181.* Temporibus medii aeui in foris Germaniae istae prae reliquis morum patiorum collectiones, quae *Specula* dicuntur, summam maximamque habebant auctoritatem. Ast in Speculo Saxonico, paene dixerim, nihil, in Alamannico admodum pauca reprehenduntur, quae supra spectent eorumque poenas. *Heineccius loc. cit. §. 187.* Quin in ipsa adeo *Constitutione Criminali Carolina*, quamuis de reliquis delictis venereae libidinis large et copiose differuerit legislator summus, stupri tamen, de quo hoc loco nobis sermo est, id est, voluntarii, siue, vti etiam dicitur, simplicis nulla fit mentio. *Quae tamen nolim, eam*

107

in



in partem interpreteris, quasi his temporibus plane impunita fuerint supra, quis enim nescit, libidinem, quo impunitior est, eo ut plurimum esse effrenatiorem. Permittebatur potius tunc temporis istius delicti coercitio iudici partim ecclesiastico, partim magistratibus saecularibus inferioribus.

*et si quodcumq; rite non sibi sui iuris memoratio non est cognitio. sed cum h*  
*et si quodcumq; rite non sibi sui iuris memoratio non est cognitio. sed cum h*  
*et si quodcumq; rite non sibi sui iuris memoratio non est cognitio. sed cum h*

§. V.

Sed haec omnia, quamvis copiosissime dici potuissent, hoc tamen loco, nos quasi praetereuntes, strictim tantum enarrasse, satius esse putauimus. Etenim iura, quae his nostris temporibus usu fori frequentantur, restant, corumque expositionem ubiorem huius in primis loci, summaeque utilitatis esse, quis est, qui neget? Haec autem iura recentiora, quae in Germania, variisque Imperii Germanici prouinciis et territoriis de coercendis stupris subinde scripta sunt et euulgata, cum haud raro diuersissima sint, nemo eorum omnium in hoc libello expectabit vel meram tantum enumerationem. Itaque in Iure nostro Saxonico Electorali, quae hac de re bene sapienterque sunt constituta, ea uice in hac Dissertatione inaugurali cum cura explicabimus, praetermissis ceteris omnibus iuribus Germanicis particularibus, praeterquam, quod unius legis, extra neae quidem, sed hoc tamen loco memoratu dignissimae, duabus tantum verbis meminisse iuuabit. Est autem ea lex Regi-

B

Boruf-



*Borussorum et Electoris Brandenburgici Edictum wider den Mord neugeborener unehelicher Kinder, Verheimlichung der Schwangerschaft und Niederkunst. de dato Berlin den 8. Febr. 1765.* In hoc autem Edicto eiusque Sphis prioribus quatuor primo quidem ea traduntur omnia, quae Rex sapientissimus, ut, quantum fieri potest, in posterum euitarentur infanticidia omnia, praecepit, his autem praemissis in §. 5. et ultim. tandem addit: *Damit endlich die in Unehren schwanger gewordene Weibesleuthe um so weniger Bedenken finden mögen, ihre Schwangerschaft bekannt werden zu lassen, und, nach der Vorschrift dieses Edicts, von freyen Stücken anzuziegen, so sollen, um ein grösseres Ubel zu verhüten, von nun an alle Hurenstraffen, von welcher Gattung und Art sie seyn mögen, völlig abgeschafft seyn, und dergleichen Weibesleuthe, ihres begangenen Fehltritts halber, zu keiner Straffe ferner gezogen, auch ihnen nicht der geringste Vorwurff deshalb, oder einige Schande gemacht werden.*

#### §. VI.

Plura de hac sanctioe non addo, sed ad Iura potius Saxonica Electoralia progredior. Olim autem in Saxonia poena stupri simplicis legibus quidem publicis statuta, neutquam vero determinata satis erat. *In Ordin. Prouinc. Mauritii an. 1543. Tit. Von Strafe des Jungfrauen-Schwächens. Cod. August. Tom. I.*

pag.



¶

pag. 19. dicitur: *Wo einer hinsürder eine Jungfrau schwächen, und die nicht zu der Ehe nehmen, ob er sie wohl, nach Ordnung derer Rechte, bestatten würde, soll er gleichwohl mit zeitlichen Gefängniß, ohne Nachlassen, gestraffet werden.* In Constit. Electoral. 27. Part. IV. Ibid. pag. 124. ea quidem, quae in Ordinat. Provincial. Mauriti. fancita sunt, repetuntur et confirmantur, hac tamen addita illustratione: *Da aber auch darüber die Verbrechung dermaßen beschaffen, daß sie, nach Gelegenheit derer Personen und anderer Umstände, größere und härtere Strafe erforderte, so sollen die Schöppen-Stühle und Gerichte in Unsern Landen dieselbige, als Kraft dieser Unserer Constitution zu erhöhen, und diesfalls auch auf Staupenschlägen zu sprechen und zu erkennen haben.* Ordinatio Ecclesiast. an. 1580. Tit. *Von Ehegelöbnissen.* Rubr. *Von der Strafe der Unzucht und des Ehebruchs.* §. *Würde denn.* C. A. Tom. I. pag. 542. rem omnem paullo plenius exponit his verbis: *Würde denn eine ledige Manns-Person, ohne Nothzwang, eine Jungfrau oder unverüchtigte Wittwe beschaffen und dieselbe nicht ehelichen, so sollen sie beyde mit zeitlichen Gefängnisse, nach Gelegenheit und Umstände der Sachen, auf 8. oder 14. Tage, oder auch einen Monat lang, gestrafft, und darinnen mit Wasser und Brod gespeiset werden.* His addo, quae in Mandato Christiani II. Elector. d. 30. Septbr. an. 1609. C. A. Tom. I. pag. 1448. et in Ordinat. Matrimoniali d. 10. August. an. 1624. C. A. Tom. I. pag. 1023. verbis fere iisdem



hac de re hunc in modum sunt sancita, scilicet: *Do aber eine ledige Manns-Person eine unberüchtigte Jungfrau, oder Wittwe beschläft, und sie nicht zur Ehe nehmen will, der soll sie nicht allein ihrem Stande und Herkommen nach, dotiren und ausstatten, auch die von ihm erfolgte Leibesfrucht mit Unterhalt versorgen, sondern auch darüber, nach erlittener Gefängniß, desselben Orts verwiesen, sie aber mit zeitlicher Gefängniß bestraffet werden.* Atque haec fortassis ea sunt omnia, quae in Iure nostro Saxonico Electorali de coercendis stupris in vniuersum sunt sancita, et satis, opinor, apparet ex iis, ipsam stupri simplicis poenam non semper vnam canderemque, multumque praeterea iudicantium arbitrio esse reliatum. Vsu autem fori et consuetudine longa receptum est in his terris, vt plerumque ii, eaque omnes, qui, quaeve stuprum commiserunt simplex, prima vice poena carceris quatuordecim dierum, altera vice trium, et tertia vice quatuor hebdomadum carcere affiantur. Atque haec poena carceris trium quatuorue hebdomadum obtinet non tantum, usum fori quod attinet, quando eadem personae, primo stupro poena quatuordecim composito, secundum tertiumque secum inuenientem committunt, verum etiam si secundum tertiumque stuprum cum aliis personis perpetratum sit. Ceterum negare nolo, stuprum ab iisdem personis iterum iterumque commissum, et eiusmodi consuetudinem per plures annos continua-

301

B

tam,

tam, stupri simplicis nomen vix amplius mereri, et degenerare quodammodo in concubinatum, feminam vero, quae parlam, id est, sine delectu se prostituit, honestam feminam, cum qua tamen sola stuprum simplex committitur, dici non posse, et feminam potius, meretricio more viuente, esse dicendam. Etenim, nomen meretricis quod attinet, nihil interest, in lupanari, an clam, gratis, an pro mercede aliorum libidini pareat, sed solum vulgiuagae Veneris exercitium est spectandum.

*Püttmann Elem. Iur. Crim. Libr. I. Cap. XXXIX. §. 568.* His tandem addo, quamuis in Saxonia, quando delictorum poenae carceris poenam paucorum dierum hebdomadumque non egrediuntur, delinquentibus plerumque alternis aut carceris poena, aut pecuniaria soleat decerni, has tamen poenas pecuniarias in stupro simplici, ceterisque delictis voluptatis venereae omnibus apud nos locum non habere, et ordinariam carceris poenam eiusmodi in delictis, praeterquam ab principe, in pecuniariam mutari non posse. Hanc autem legem iam olim an. 1580. scripsit *Augustus Elect. in Articul. general. 44. C. A. Tom. I. pag. 713.* et repetita deinceps ea saepius est, veluti in *Mandato Christiani II. Elect. an. 1609. Ibid. Tom. I. pag. 1448. in Ordinat. Matrimonial. Ioan. Georgii I. Elect. an. 1624. Ibid. pag. 1024. in Ordinat. Polit. Ioan. Georgii II. Elect. an. 1661. Tit. VI. Ibid. pag. 1570. in Resol. Grauamin. an. 1713. et 1715. Ibid. pag. 372.*

supin

B 3

et



et 374. quibus omnibus addo *Rescriptum d. 18. Octobr. an. 1700.*  
 cuius mentionem facit *Bergerus Elector. Iurisprud. Criminal. Cap.*  
*III. Membr. I. No. 1. p. 156 sqq.* Ab hac tamen Iuris Saxonici  
 Electoralis dispositione secedunt mores vtriusque Lusatiae, se-  
 cundum quos in delictis carnis, quae vulgo dicuntur, poenae  
 pecuniariae admittuntur, praeterea *Bergerus loc. cit. Cap. I.*  
*J. XI. pag. 31.* quoad ea, quae de poena pecuniaria in delictis  
 his exule in Saxonia scripsimus, hanc addit exceptionem: *Id*  
*quod tamen tantum de delictis carnis consummatis, non de attentatis ca-*  
*piendum esse, usus fori docet, quum et in poenam impudicissimi tabus*  
*sexagenaria antiqua, Ein Altschock, quae est viginti grossorum, nescio, quo*  
*auctore, dictari soleat.*

Haec autem poena stupri ordinaria, prouti iam quasi in  
 transitu diximus, ob varias concurrentes facti rationes et peri-  
 stases augetur nonnunquam, nonnunquam etiam minuitur.  
 Attenuatur non tantum, id quod appareat ex iis, quae paulo  
 ante monuumus, in stupro attentato, quod non, nisi trium qua-  
 tuorū dierum carcere, vel pecuniaria poena, coeretur, ve-  
 rum etiam in ipso adeo stupro perfecto et consummato, scilicet,  
 quando stuprator vxorem sibi adiungit stupratam. Tunc enim  
 vterque delinquentium trium tantum dierum carcere punitur,  
 atque

atque hoc in casu poena haec in ipsa sententia non: *Gefängniß*, sed *Leidlicher Gehorsam* dicitur. Ex altera parte vero exasperatur quoque poena stupri ordinaria; id quod fieri solet ex causa multiplici, veluti, si quis cum puella adhuc impubere corpus miscuit. Etenim in *Confit. Electoral.* 31. Part. IV. sancitur: *Da einer ohne Nothzucht, oder zugethan Gewalt, ein Mägdelein, so unter 12. Jahren ist, fleischlich erkannt, derselbe soll mit Stau-penschlägen Unsers Landes ewig verwiesen werden.* Sed in locum fustigationis, cum relegatione perpetua, substituitur hodie er-gastulum quatuor annorum, mitigatur quoque nonnunquam ista poena, cuius rei exemplum exhibit *Bergerus Elector. Iurisprud. Criminal. Cap. II. Membr. IV. §. 3. p. 141.* Ceterum dict, *Conft. Elector.* 31. Part. IV. inter puellam infantem et infantiam maiorem non distinguit, distinguit tamen *Carpzouius*, atque stupratorem, qui cum infante trium, quatuor, quinque vel sex annorum rem habuit, capite plectendum, eum autem, qui cum puella infantia maiore corpus miscuit, sub ictum fustium dannum et in perpetuum relegandum esse ait *Prax. Criminal. Part. II. Quaest. 69. No. 41. et ad Confit. 31. Part. IV. Def. 3.* Sed mitior *Mylii ad Beyeri Delineat. Iur. Criminal. Post. 16. ad Artic. Conft. Crim. Carol.* 119. pag. 198. sententia, ceteris paribus, his certe temporibus aptior sine dubio est et accommodatior. Haec autem de stupratore sunt intelligenda, stupratam enim puellam



impuberem quod attinet, iura nostra delictum hoc, si quod est, vulgo inultum relinquunt, nisi forsitan puellae impuberis accedat malitia insignis, prout ex Bergero potest intelligi loc. paullo ante citat. Praeterea poena acerbior longe duriorque infligitur ei, qui stuprum infert feminae furiosae et mente captac. Wenn eine ledige Manns-Person, Condit. 26. Part. IV. dicitur, eine wahnwitzige sinnlose ledige Weibs-Person beschläft, soll er derselben nicht alleine, nach billiger Ermäßigung, einen Unterhalt machen, sondern soll auch darüber mit Staupenschlägen verwiesen werden. Cumque furiosae feminae et mente captae iure meritoque aequiparanda sit puella summe ebria, haud immerito Carpzouius Prax. Crimin. Quaest. 69. No. 35. atque Berlichius Concil. Practicabl. Part. IV. Concil. 37. No. 6. eandem fustigationis et relegationis perpetuae poenam isti infligendam esse stupratori existimarent, qui data opera doloque malo eum in finem inebriauit puellam, ut ea deinceps eo licentius abuteretur. Inebriata autem et vitiata puella, utpote doli mali prorsus non capax, stupri frustra arguitur, igitur, nisi forsitan illius praecesserit culpa, ab omni poena immunis est. Eadem poena, fustigationis, scilicet, cum relegatione in perpetuum, animaduertendum esse in custodes carceris, qui captiuam mulierem, custodiae suae commissam, stuprant, Condit. Elec. 25. Part. IV. cautum est his verbis: Wenn derjenige, welchem eine Weibsperson in seine Custodien und Ge-

Gewahrsam befohlen, dieselbe Gefangene beßläft, so soll er, so beyde Personen ledig, mit Staubenschlägen des Landes verwiesen werden. Ipsa vero femina captiua, quae, tanquam captiua, in carcere stupro se polluit, prouti omnes ii, qui carceri sunt inclusi, atque v. g. ancillam custodis, aut ipsam illius filiam vitiant, tum propter loci publici, non ad perpetranda delicta, sed ad custodiendos delinquentes, aut eos ad poenam continendos comparati, violationem, tum etiam, ne per talis stupri occasionem euadat captiua, duriori quidem poena, quam ordinaria est, afficiuntur, neutquam vero fustigationis poena, aut ergastuli quatuor annorum. De eo, qui, sciens, cum alterius sponsa corpus miscuit, in Ordinat. Matrimoniali Cod. Augst. Tom. I. pag. 1022. constitutum est: *Würde auch jemand eines andern Brudt, ehe denn der Bräutigam beygelegen, wissentlich beschlafen, so sollen beyde Personen zur Staupe geschlagen, und des Landes ewig verwiesen werden, es wollte denn der Bräutigam die Braut wiederum annehmen, auf solchen Fall soll sie mit Gefängniß gestrafft, und der Brautschänder nicht minder mit Staubenschlägen des Landes ewig verwiesen werden.* His autem hactenus recensitis delictis poena ordinaria quidem, secundum Iura Saxonica Electoralia proposita est fustigatio cum relegatione in perpetuum coniuncta, sive hodie, ergastuli per quatuor annos poena; mitigatur tamen ea haud raro, dummodo, quae mitigationi poenae locum faciunt, adsint causae, quas

C

proinde,



proinde, quoad fieri potest, vndique conquirere debet prudens  
 defensor apteque deducere. Praeterea duriori quidem, quam  
 ordinaria est, poena, quae tamen ad fustigationis et relegatio-  
 nis poenam non ascendit, afficiuntur viduus, aut vidua, in-  
 tra tempus luctus stupro se polluentes, curator feminæ, curae  
 suae demandatae, vitium qui obtulit, sponsores fidei, puellam,  
 quam de fonte sacro suscepérunt, corruptentes, ludimister,  
 feminam disciplinae suae demandatam vitians, homo vilioris  
 conditionis, virginem nobilem, famulus aliasue domesticus,  
 domini sui filiam prostituens, et q. f. r. Poena autem horum  
 delictorum varia est et arbitraria, et pro varia rerum conditio-  
 ne, quas prudens iudex omnes aestimare solicite et ponderare  
 debet, carcer quatuor, sex, octo hebdomadum, quin, pro re  
 nata, ad ergastuli poenam trium mensium, et ulterius adscen-  
 dere potest. His tandem omnibus addo istam stupri simplicis  
 speciem, vbi Iudeus vel Iudea, aut ii, eaque omnes, qui  
 quaeue ab vera religione deflectunt, cum Christiano, masculo  
 vel femina, corpus miscent; atque dici vix potest, quantope-  
 re superiorum temporum et leti et alii quoad hoc delictum  
 hallucinati sint, quin, hallucinentur haud raro adhuc hodie,  
 prout ex iis potest intelligi, quae *Leyserus noster Meditat. ad Pand.*  
*Specim. 581. medit. 10. sqq.* hac de re differuit. Apud Prote-  
 stantes et in Saxonia praesertim nostra delictum hoc tanquam

stuprum

stuprum quidem, sed, ob conditionem personarum delinquentium, acerbiori tamen duriorique, quam ordinaria quatuordecim dierum carceris poena, coercetur. *Carpzonius* quidem in eum, qui corpus cum Iudea miscuit, i<sup>st</sup>u fustium et perpetua relegatione animaduertendum esse, censet ad *Constit.* 26. *Part. IV. def. 4.* dudum autem ista severitas displicuit cordatiis. *Loyser loc. cit.* *Hommel Rhapsod. Obj. 426.* *Püttmann loc. cit. §. 580.* Nihilo secius tamen bene memini, Scabatum Vitembergensem Mens. Ianuar. 1777. cuiu cuidam Barbensi I. G. F. qui Iudeam, Raanam Meyerin, stuprauerat, ergastuli poenam triuui annorum, stupratae Iudeae autem poena carceris sex hebdomadum dicitasse, hanc tamen ergastuli poenam deinceps ab *Serenissimo Electore nostro* in poenam carceris trimestrem esse mutatam. \*)

## C 2

## §. VIII.

\*) Eadem hac occasione, quoniam *Raana Meyerin* ex hoc concubitu cum I. G. F. praegnans erat, qua in religione initianus esset et educandus partus futurus? quaerebatur. Res ipsa deuoluebatur ad Summum Senatum Ecclesiasticum Dresdensem, et s<sup>i</sup>b eo per Rescriptum d. 23. Dechr. 1775. ad Consistorium Vitembergense datum decidebatur his verbis: *Uns ist aus eurem unterm 20. huj. erflatteten unterthänigsten Berichte geziemend vorgetragen worden, welchergeßt I. G. F. ein Bürger und Wittwer zu Barby, gerichtlich zugestanden, daß er sich mit einer Itdin, Rahel Meyerin, daßelbst zu wiederholten mahlten fleischlich vermischet, dieselbe ihn auch zum Vater ihres Kindes, womit sie schwanger gehe, angegeben, und was ihr, wegen dieses Kindes zu Unserer gnädigsten Entschließung gestellt. Worauf hiermit Unser Begehr-*



### §. VIII.

Quoniam vero in coercendis delictis eius loci, vbi delictum perpetratum est, ratio habenda, et secundum illius iuria poena ipsa definienda est, facile patet, istas omnes antea recensitas Iuris Saxonici Electoralis poenas tunc demum obtinere, si stuprum, de quo quaestio est, his in terris sit commissum. *Werther Obs. Part. II. Obs. 404. Berger Oecon. Jur. Libr. III. Tit. XI. thes. 3. not. 5.* Vtrum autem, qui stupro se polluerunt, infamia notentur, nec ne? de ea re, olim praesertim, anceps fuit inter viros doctos et controversa quam maxime disputatio. Non nulli ipsam adeo infamiam iuris, quae delinquentem omnibus omnino honoribus et collegiis indignum reddit, ob stuprum irrogant; alii ex stupro infamiam, non quidem iuris, sed facti oriri contendunt, ita tamen, ut non nulli eam saltim aditum ad honores et collegia intercludere, neutriquam vero ab iis, quos quis iam obtinuit, excludere existiment, non nulli e contrario ab officiis atque honoribus, tam obtentis, quam obtainendis, excludere perhibeant; denique non desunt, qui infamiam propter stuprum irrogari, plane negant,

*Begehrten, ihr wollet, damit das Kind, von welchem benannte Meyerin entbunden werden wird, in der Evangelischen Kirche getauft werden möge, die nöthige Verfügung erlassen, und daran Unsere Meynung vollbringen.*

gent, prouti, quae hoc loco quasi in compendio dicta sunt, cum cura olim exposuit *Leyserus Medit. ad Pandect. Specim. 582.* *Medit. 1. sqq.* Atque haec postrema sententia, etiam si vsu fori non vbique frequentetur, aequitate tamen sua se commendat quam maxime, adeo, vt *Leysero nostro adstipulemur lubentissime, qui loc. cit. Medit. 7. et 8. ingenui, inquit, proficiuntur, infamiae poenam, iure scripto in stuprum sanctitatem, reipublicae non inutilem solum, sed et perniciosam esse, atque adeo vel aboleri, vel temperari, vel, quantum fieri potest, restringi oportere.* Quapropter, cum circa initium praesentis anni mecum communicaretur index eorum, qui in vrbe quadam Saxonie haud incelebri anno superiori nati sunt, aut qui matrimonio iuncti, aut denati, *ein Jahrzeddel*, non sine indignatione et dolore in classe defunctorum speciali aniculam quandam indicatam deprehendi, quae, quia olim stupro se polluerat, partumque enixa fuerat illegitimum, propterea *eine Ehrlose nuncupabatur*. Namque stuprum qui commiserunt, non solum infamia haud amplius notari, sed ipsam adeo iniuriam puellae inferri vitiatae, quae, si nobilis, *Fräulein*, si ignobilis, *Jungfer* non appelletur, ante decem, et quod excurrit, annos *Facultas Iuridie. Lipsiens. ad praefectum Arnshaugensem respondit*, teste *Hommelio Rhaps. Obs. 430.* adde *Bergeri Oeon. Iur. Libr. I. Tit. II. thes. 13. not. 4. edit. nouiss. an. 1771.* Cum autem ipsi adeo parentes, qui stupro se commis-  
cularunt,



cularunt, non amplius hodie, ex cordatiorum certe doctorum sententia, infamia notentur, facile est ad existimandum, inuetoratam quidem in Germania, sed iniquissimam tamen esse opinionem eorum, qui spuriis aeternas quasi inurant ignominiae maculas, eosque, ob hanc eorum sortem nascendi, ab honoribus omnibus, collegiis opificum et ex ipso numero ciuium excludant. Etenim, prout olim iamiam bene recteque monuit *Heineccius Elem. Iur. Germanic. Libr. I. Tit. XIII. §. 416.* miseranda potius, quam odio prosequenda est pars eorum, quos pareunt improbitas, sine sua culpa, pessum dedit.

### §. IX.

Ad poenas, quibus olin in Saxonia, atque extra Saxoniā adhuc hodie multis in locis, ii eaque omnes, qui, quaeue stuprum commiserunt, afficiuntur, iure meritoque referri quoque meretur *poenitentia* sic dicta *ecclesiastica*. Est autem ea publica offendiculi, ecclesiae dati, deprecatione. Eterim ritu *ex veteris ecclesiae disciplina ad nos traducto*, inquit *Deylingius Instit. Prudent. Pastoral. Part. III. Cap. IV. §. 24. pag. 428.* *larsi et poenitentes, in coetum sacrum recipiendi, et ad S. Eucharistiae usum accessuri, sua excomologesi et humillima deprecatione ecclesiae, scandalo dato, laesae, satisfacere et censuraz ecclesiasticae sese subiicere, ac seriam vitae emendationem polliceri iubentur, ut scandalizati hoc seriae poenitentiae exemplo*

*emulo aedificantur.* Fiebat autem haec deprecatio publica olim ad laibitis variis solemnitatibus ac caerimonialiis, quae tamen non vbiique semper erant eadem, *Carpzonius Iurisprud. Ecclesiast. Libr. III. def. 83. pag. 805.* atque ipse iste ritus, si originem illius spectemus, proprio, id quod ingenue fateor, non habet rationem poenae ciuilis, nec per se ignominiosa est, aut infamiam poenitenti et deprecanti adspargere vilam potest. Successu tamen temporis ab hac primaeva sua natura et confessata virtute degenerauit quam maxime et poena facta est publica, qua scandalum, quod ex stupro oriri vulgo creditur, non tam aboletur aut minuitur, quam augetur potius. Inde factum est, teste Leysero Medit. ad Pandect. Specim. 582. Medit. 7. sqq. ut poenitentia haec publica funestissimos haberet effectus, et homines, pudoris sui non profus oblitos, sed existimationis suas conseruandae studiosos ad desperationem adigeret, et in atrocissima criminis parricidia, abortus, occultationes uteri, expositiones infantum, periuria, mutationes religionis, fugam e patria, desertionem muneric publici et cet. impelleret. Et ex his causis grauissimus Rex quondam Poloniarum potentissimus et Elector Saxonie Friedericus Augustus hanc poenitentiam ecclesiasticam, lege publica d. 14. Ian. an. 1756. euulgata, penitus abrogauit. Verba huius legis, quae extat *Suppl. Cod. August. Tom. I. pag. 240. sqq.* digna sunt, quae hoc loco adponantur. Ita autem, emiso tamen et prologo huius legis et illius epilogi, se habnt:

Wenn



Wenn denn bey denen in pūneto infanticidii angestellten Untersuchungen sich mehrmalen geäusert, daß die geschwächte Weibspersonen sich durch die Furcht vor der bey Ausbruch ihrer Schwangerschaft theils von deuen Geistlichen Gerichten, theils von dem Weltlichen Richter zu gewartenden öffentlichen Bestrafung, und die, zwar an sich ungegründete, doch bey solcherley Personen fast allgemeine Vorbildung, als ob die Schande nicht so sehr auf der That, als auf der Straße hafste, wenigstens durch die Kirchenbuße und das Gefängniß vergrößert, und gleichsam unvergeßlich gemacht werde, zu Verheimlichung ihres Zustandes, Abtreibung, Wegsetzung, auch wohl gar Ermordung ihrer Leibesfrüchte, wobey sie verborgen zu bleiben, mithin der Ahndung derer Gesetze und dem daraus besorgenden immerwährenden nachtheiligen Vorurteil zu entgehen verhoffet, antrieben lassen; hiernächst auch noch in Erwiegung gekommen, daß bey der Kirchenbuße man nach und nach von der auf derer Gefallenen Besserung und Wiederauslösung mit der Gemeinde gegangenen Absicht und Disciplin der ersten Kirche allzuweit abgewichen, als daß solche Handlung ietzo vor etwas anders, als vor einer öffentlichen Strafe solcher Verbrechen, die ein öffentliches Aergerniß geben, sollte angesehen werden können; daß ferner bey dergleichen Straffen billig blos auf die Größe des gegebenen Aergernißes die Absicht gerichtet, keinesweges aber ein Unterschied derer Orte und Personen nachgelassen werden sollte; daß hingegen diesfalls in Ansehung der Kirchenbuße eine besondere Ungleichheit bishero vorgewalitet habe; und nicht nur solche an sich selbst an gar manchen Orten ganz, oder wenigstens ein und der andre Grad nicht üblich sey, auch selbige, beschaffenen Umständen nach, vielen gänzlich erlassen zu werden pflege, sondern auch

auch insgemein kein anders, als das Laster der Unzucht damit belegt worden, da doch andere Verbrecher, als Todtschläger, Gotteslästerer, öffentliche Flucher, Trunkenbolde u. s. w. wo nicht ein größeres, doch wenigstens eben so großes Aergerniß geben: Als sehen Wir, in Betracht aller dieser Umstände, und, da zumal auch, nach Ausweis der Erfahrung, der gleichen in der Kirche währenden Gottesdienste vorzunehmende außerordentliche Handlung ohne Zerstreuung derer Gedanken und Stöhrung der Andacht bey der Gemeinde sowohl, als dem gefallenen Sünder nicht abgehet, vor gut an, die Kirchenbuße nach allen ihren Graden in allen Unsern Landen, gleich als auch von andern Herren in denen ihrigen verschiedentlich geschehen, von nun an gänzlich aufzuheben und abzuschaffen, dergestalt und also, daß zwar die Geistlichkeit jeden Ortes bey denjenigen, so sich wider das sechste Gebot vergehen, in gleicher Macße, als bey andern öffentlichen Verbrechen, sich einer zu derselben Besserung abziehlenden Privat-Admonition, nach denen Schranken des ihr anvertrauten Amtes zu gebrauchen, hingegen keine Kirchen-Censur, oder etwas anders, so eine öffentliche in der Kirche zu vollstreckende Strafe involviret, vorzukehren, noch darüber an die ihnen vorgesetzten geistlichen Instanzen Bericht zu erstatten, oder von selbigen darüber Verordnung einzuhohlen, oder zu erwarten haben solle. u. s. w.

### §. X.

Cuinam vero iudici competat cognitio stupri, illius præfertim, quod non, nisi quatuordecim dierum carcere coeretur, utrum ei, qui superiori gaudet, et criminali iurisdictione,

D

an



an vero ei, qui inferiorem tantum atque ciuilem habet iurisdictionem? quaeritur, et in hac quaestione soluenda olim in ipsa adeo Saxonia Icti in diuersas abibant partes. *Carpzouius Prax. Criminal. Part. II. Quaest. 70. No. 47. sqq.* item *Part. III. Quaest. 109. No. 46. sqq.* nec non *ad Constitut. 28. Part. IV. def. 4.* in ea olim erat opinione, cognitionem stupri ad istum omnino pertinere iudicem, cui competit iurisdictio superior, criminalis, vel alta, et tanta olim erat Carpzouii auctoritas, ut haec illius sententia a plerisque Saxoniae Ictis reciperetur. Sed *Berlichius* tamen diu ante Carpzouium cognitionem et coercitionem stupri non ad superiorem et criminalem, sed ad inferiorem atque ciuilem iurisdictionem, *in die Erbgerichte*, referebat. *Conclus. Practicab. Part. V. Concl. 38. No. 127.* Atque hanc Berlichii sententiam deinceps suam quoque fecerunt Icti Vitembergenses, eamque contra Carpzouium in responso d. 30. April. an. 1723. *ad Elec̄torem Saxoniae* dato, argumentis grauissimis tuiti sunt, teste Leysero Meditat. ad Pandect. Specim. 581. Medit. 19. 20. 21. Admodum diu igitur haec res in Saxonia nostra inter aientium et negantium dissidia erat suspensa et incerta quam maxime; sed his nostris temporibus ea est decisa, atque hodie sine omni controuersia cognitio stupri ad iurisdictionem pertinet criminalem et altam. Decisa autem est per *Resolutiones Grauaminum* an. 1769. Tit. *Von Justiz- und Polizey-Sachen* §. 4.

vbi

vbi ait Serenissimus Legislator: Nach der beständigen Observanz gehören die causae stupri simplicis zu den Ober-Gerichts-Fällen, und, obwohl die Fälle, wenn Personen vor der Trauung den Concubitum anticipiret, hieher nicht zu rechnen, sondern denen Erbgerichten zur Bestrafung überlassen sind, wie solches unter andern per Rescriptum vom 1. Septbr. 1745. pag. 345. Tom. I. Suppl. Cod. August. verordnet, so ist doch dieses nur von Verlobten, die ante benedictionem sacerdotalem zur copula carnali verschreiten, zu verstehen, mithin auf den Fall, da die Inculpaten völlig geläugnet, daß sie einander die Ehe versprochen, nicht zu appliciren. conf. Püttmann Element. Iur. Criminal. Libr. I. Cap. XXXX. §. 583. Cessat autem haec iudicis criminalis cognitio et coercitio stupri simplicis, plerorumque reliquorum, prout vulgo dicuntur, delictorum carnis, ob intercedentem eorum praescriptionem. Exstinguitur vero stuprum simplex eiusque vindicatio ex principiis Iuris Romani, hac ex parte in Germania Saxonique Electorali recepto, quia quennio, atque currere incipit haec quinquennalis praescriptio a tempore delicti perpetrati ita, vt, si delinquentes intra hoc legitimum spatium in ius ideo haud sint vocati, facinus ipso iure pro delecto habeatur. l. 29. §. 7. D. ad Leg. Iul. de Adulter. Deducto autem iamiam stupro in iudicium, praescriptio, hac ratione interrupta, ab ultimo demum actu iudiciali iterum currere incipit, nisi forsitan reus fuga doloue malo criminis perse-



cutioni moras obiecerit ipse. Simulac vero quinquennium hoc praeterlapsum est, stuprum, de quo quaestio est, omnisque de eo inquisitio et poena per praescriptionem est extincta, adeo, ut iudicem oporteat praescriptionis exceptionem supplere, et iam si eam reus non alleget, sed confiteatur delictum. Berger. *Oecon. Iur. Libr. III. Tit. XV. thes. 1. not. 1. sqq.* Leyser. *Medit. ad Pand. Spec. 515.* Püttmann *Elem. Iur. Crim. Libr. II. Cap. XXVII. §. 1046. sqq. sqq.*

### §. XI.

Sed haec de poenis, quibus plectuntur omnes, qui stupro se polluerunt, deque cognitione stupri criminali dixisse sufficiat. His autem omnibus addo, stupratorem moribus nostris, qui puellam illecebris suis ad stuprum pellexit, eam aut datur debere, aut ducere, eumque praeterea quoque ad alendum partum ex se editum, donec ille se ipsum exhibere possit, obstrictum esse. Ex iure procul dubio diuino et canonico haec stupratoris obligatio descendit, atque olim quidem ad utrumque simul obligatus erat stuprator, hodie vero, certe in Saxonia, alterutrum sufficit. Berger *Oecon. Iur. Libr. III. Tit. XI. thes. 4. not. 7.* Haec autem obligatio, ducendi stupratam, aut dotandi eam, non tanquam poena imponitur stupratori, sed, quoniam puellae ut plurimum illecebris stupratorum deliniuntur, atque ex congressu cum iis sumnum semper, certe longe maius

maius

maiis sentiunt damnum, quam stupratores ipsi, reparatio potius damni est, stupratae illati. Hinc, si quando ea de re inter stupratorem atque stupratam controvèrtatur, atque eiusmodi controvèrsia iudicis auctoritate dirimenda sit, cognitio eius rei ad iurisdictionem pertinet ciuilem et inferiorem, et adeundus est iste iudex, cuius iurisdictioni subest stuprator, neque actio, stupratae puellae propterea competens, quinquennali præscriptione extinguitur, prouti extinguitur cognitio criminalis et poena. Quoniam vero stupratori datur optio, vtrum stupratae dotem dare, an eam matrimonio sibi iungere malit, alterutrum tantum ab puella peti nequit, cumque iudex saecularis, coram quo eiusmodi controvèrsiae tractantur ut plurimum, stupratorem, vt ducat stupratam, condemnare non posse, hoc enim non, nisi ab iudice ecclesiastico fieri potest, sententia, quam saecularis iudex vel ipse fert, vel, quae illius nomine ab Ictorum Collegio fertur, condemnatoria his verbis:  
*Daß Beklagter, dasferne er Klägerin zu eheligen nicht gemeinet, dieselbe mit — — auszustatten — — schuldig.* concipi solet, neutiquam vero saecularis iudex hac formula: *Daß Beklagter die Ehe mit der Klägerin durch Priesterliche Copulation zu vollziehen, oder in Verbleibung dessen, selbige mit — — auszustatten — — schuldig:* vti, sine vitio potest. Magnitudo dotis autem, quam stuprator, qui stupratam ducere non vult, ei soluere tenetur, ab iudice, pro con-



ditione vitiatae puellae, definitur, atque infimae sortis feminis XV. paucis honestioribus XX. quae has dignitate praecedunt, XXX. XXXX. L. pluresue floreni misnici adiudicantur, neque stuprator, qui condemnatus est, ad dotandam stupratam, solutionem pecuniae differre potest, vsquedum nubat ea, quacum corpus miscuit, sed potius, si eam sibi ipsi matrimonio copulare nolit, statim praestare tenetur, magis enim, prouti monuimus iamiam, damni, quod stuprata incurrit, reparandi causa soluitur ea pecunia, quam quod reuspe dotis naturam induat. *Leyser loc. cit.*  
*Spec. 583. Medit. 11.* Ceterum non desunt causae, ob quas stuprata dotem ab stupratore peferre nequit. *Decisio Elec. nouiss. 30. an. 1746.* eius rei exhibit exemplum his verbis: *Wenn ein Ehemann mit einer ledigen Weibsperson, oder Personen, welche der nahen Anverwandtschaft halber, nach göttlichen Gesetzen einander nicht heyrathen mögen, sich fleischlich vermischet, kann die Geschwächte keine Ausstattung fordern, dem erzeugten Kinde aber ist der Vater nichts desto weniger, bis es seia Brod selbst verdienien kann, die nöthigen Alimenta zu reichen verbunden.* Porro cessat stupratoris obligatio dotandi stupratam, quando stuprata vel stupratori nubere recusat, vel, ob matrimonium cum tertio iam initum, non potest; item quando stuprata pudicitiam stupratori vendidit et cum eo de certo pretio ipsi soluendo pepigit; nec non si cum pluribus Venerem illicitam exercuit, et quae sunt causae reliquae, quarum tamen nonnullae dubiae sunt et controversae.

### §. XII.

Olim, quando stuprator matrimonio sibi iungebat stupratam, copulationem eorum benedictionemque sacerdotalem nulla proclamatio publica, quippe qua eiusmodi personae quasi indignae habebantur, praecedebat. Usu quidem, ut videtur, et consuetudine longa inualuerat hoc, sed nihilo secius tamen in ipso

ipso adeo Rescripto Regio d. 23. Iul. 1732. mos iste disertis approbatur verbis: Im übrigen ist der Praxi Unser Ober-Consistorii, Consistorii zu Wittenberg und anderer Consistorien der Evangelischen Kirche gemäß, daß ausgesallene Personen, wenn sie einander heyrathen, höchstens nach vorhergegangener eydlichen Bestärkung ihrer Ledigkeit, und nach Besinden, ihrer Eltern Todes, oder Consenses, ohne vorhergehendes Aufgeboth getraut werden. Deyling. Prudent. Pastoral. Part. III. Cap. VII. §. XVI. not. 9. edit. nouiss. an. 1768. Enimvero haec omnia per Rescriptum recentius d. 19. May 1775. prorsus immutata iterumque abrogata sunt, atque digna utique sunt huius Rescripti verba, quae hoc loco adponantur, ita autem se habent: Demnach bey einigen Consistoriis hiesiger Lande zisthero üblich gewesen, daß Personen, die sich mit einander fleischlich eingelassen, wenn sie nachher einander heyrathen, ohne Aufgeboth getraut worden, solehhergestalt aber dergleichen Personen durch ihr Vergehen einen besondern Unterscheid vor andern, die sich ordentlich mit einander verlobet, und nicht zu Falle gekommen, erlangen, auch iera tertii öfters Gefahr laufen; Als gehet Unsere Willens-Meynung dahin, daß in Zukunft auch solehe Personen, welche sich vor der öffentlichen Zusammengebung und Trauung fleischlich mit einander eingelassen, nichts desto weniger vorhero, jedoch ohne im mindesten ihren Fehlritt zu berühren, gleich andern, zu dreyenmahlen öffentlich proclamiret, und aufgebothen werden sollen. Unsern Consistorii aber bleibt freygelassen, von dieser Regel, bey vorkommenden höchst dringenden Fällen, bewegenden Umständen nach, eine Ausnahme zu machen, und, mittelst Verordnung, die Trauung ohne vorgängiges Aufgeboth, der gestalt, daß, statt dessen durch Leistung des Eydes der Ledigkeit, das Besorgniß einschlagender Rechte eines dritten aus dem Wege geräumet werde, zu gestalten.

### §. XIII.

Stuprator vero non solum obligatus est, vt stupratam aat dotet, aut ducat, obligatus quoque est, vt infanti ex stupro nato alimenta



Ve. 2376 Orf


alimenta tamdiu praefestet, donec se ipsum alere possit. Rationem alimentorum definit iudex arbitrio suo, atque vilioribus personis ut plurimum per annum VIII. vel IX. honestioribus XII. vel etiam XV. floreni Misnici adiudicari solent, atque praefenda sunt spurio haec alimenta non tam ad certum usque et definitum diem, quam potius, ratione quippe non aetatis, sed facultatis, se ipsum alendi, habita, donec, prouti dictum, se ipsum exhibere possit. Petit autem haec alimenta vel ipse pupillus, eiusque nomine, illius tutor, vel mater infantis, sed mater, teste Bergero Oecon. Iur. Libr. III. Tit. XI. ths. IV. not. 7. non futura tantum, verum etiam, actione negotiorum gestorum, praeterita repetere, pupillus autem eiusue tutor ex lege futura tantum petere potest. Quodsi vero fortassis spurii pater iamiam mortuus sit, vel ex alia ratione ista alimenta praestare nequeat, olim quidem illius pater ad alendum infantem erat obstrictus, non quidem, vti ait Bergerus loc. cit. ex delicto filii, sed ob concurrentem respectum auitum, idque ante matrem auumque maternum, sed ab hac necessitate alendi nepotem illegitimum, nisi in subsidium, liberauit auum paternum Decisio noviss. 28. an. 1746. eamque matri infantis et parentibus lineae maternaee imposuit. Coronidis loco ipsa huius Decisionis verba subiungo:  
*Obwohl ein Vater seine, außer der Ehe erzeugten Kinder zu ernähren sich nicht entbrechen mög: so soll doch in Zukunft, wenn der Vater verstorben, oder dergleichen unehelichen Kindern die nöthigen Alimenta nicht reichen kann, die Mutter dieselben aus ihren Mitteln zu erziehen, schuldig seyn, daferne aber auch diese nicht vorhanden, oder hierzu unvermögend, die Groß- Eltern Mütterlicher Seiten, und in deren Erman- gelung allererst die Groß- Eltern Väterlicher Linie darzu angehalten werden.*

M.C.

*Die mündliche Form ist nicht mehr nachweisbar. Die Urkunde ist in den Händen des Konservators aufbewahrt.*

B.I.G.

Black



Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Red

Magenta

White

3/Color

Inches

Centimetres

Q. 184. DISSESSATIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
39

D E  
**P O E N A S T V P R I**  
EX PRINCIPIIS  
POTISSIMVM IVRIS SAXONICI ELECTORALIS  
P R A E S I D E  
**M A R T I N O G O T T L I E B**  
**P A V L I D**

DIGEST. VET. PROF. PVBL. ORD. CVR. PROVINCIAL  
CONSISTOR. ECCLESIAST. SCABINAT. ET FACVLT. IVRID  
ASSESSORE ATQVE ACAD. VITEMB. H. T. RECTORE

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE CONSEQUENDIS

DIE VII. MENSIS IVNII A. O. R. CICICCLXXXI

H. L. Q. C

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

A B

IOANNE GODOFREDO GILLI

IVR. CANDIDAT. ET ADVOCAT. DRESDENS

VITEMBERGAE

FRELO CAROLI CHRISTIANI DÜRRIS

